musici. gentium uocabulo designati sunt. ut lidius modus . & frygius . Quo enim quasi una quaeq;
gens gaudet . eodem modus ipse uocabulo nuncupatur. Gaudet uero gens modis . morum similitudine
neq; enim fieri potest . ut mollia duris . dura mollioribus annectantur . aut gaudeant . sed amore
delectationemq; ut dictum est . similitudo conciliat . Unde plato etiam maxime cauendum
existimat . ne de bene morata musica . aliquid permutetur . Negat enim esse ullam tantam morum
in re publica labem . quam paulatim de pudenti . ac modesta musica inuertere . Statim enim idem quoq;
audientium animos pati . paulatimq; discedere . nullumq; honesti ac recti retinere uestigium . siue
per lasciuiores modos inuerecundum aliquid . uel per asperiores ferox atq; immane mentibus illabatur .
Nulla enim magis ad animum disciplinis uia . quam auribus patet . Cum ergo per eas rithmi modi-
que ad animum usq; descenderint . dubitari non potest . quin aequo quomodo mente atq; ipsi sunt
afficiant . atq; conforment . Id uero etiam intellegi in gentibus potest . Nam quae asperiores sunt
getarum durioribus delectantur modis . quae uero mansuetae mediocribus . quanquam id hoc
tempore pene nullum est . Quoniam uero lasciuum ac molle est genus humanum . id totum scaenicis
ac theatralibus modis tenetur . Fuit uero pudens ac modestia musica . dum simplicioribus organis
ageretur . Ubi uero uarie permixteq; tractata est . amisit grauitatis atq; uirtutis modum
& pene in turpitudinem prolapsa . minimum antiquam speciem seruat . Unde plato praecipit
minime oportere pueros ad omnes modos erudiri . sed potius ad ualentes ac simplices . Atq; hinc
maxime retinendum est illud . quod si quomodo paruissimas mutationes hinc aliquid permutaret .
recens quidem minime sentiri . post uero magnam facere differentiam . & per aures ad animum
usq; delabi . Idcirco magnam esse custodiam rei publice plato arbitratur . Musicam optime
moratam . pudenterq; coniunctam . ita ut sit modesta ac simplex . & mascula . nec effeminata
nec fera . nec uaria . Quod lacedemonii maximo opere seruauere . cum apud eos thaletas
cretensis gortinius . magno pretio accitus pueros disciplina musicae artis imbueret .
Fuit enim id antiquis in more . diuq; permansit . Cum uero eis timotheus milesius
super eas quas ante repererat . unum addidit neruum . ac multipliciorem musicam fecit
ex e gere de laconica . consultum de eo factum est . Quod quoniam insigne est . spartiatarum
lingua . c litteram in(s)uertentium ipsum de eo consultum . hisdem uerbis grecis apposui .
Qm . timotheus mo milesius . ueniens in nostram

ΕΠΕΙΔΗ . ΤΙΜΟΤΕΟΡ . ΟΜΙΛΕ ΣΙΟΡ . ΠΑΡΑΓΙΝΟΜΕΝΟΡ . ΕΤ ΤΑΝ ΑΜΕΤΕΡΑΝ .
ΠΟΛΙΝ . ΤΑΜ ΠΑΛΑΙΑΝ . ΜΩΑΝ . ΑΤΙΜΑΣΣΔΗ . ΚΑΙ . ΤΑΝ ΔΙΑ ΤΑΝ . ΕΠΤΑΚΟΡ
ΔΑΝ . ΚΙΘΑΡΙΖΙΝ . Α ΠΟΣΤΡΕ . ΦΟΜΕΝΟΡ . ΠΟΛΥΦΩΝΙΑΝ . ΕΙΣΑΓΩΝ . ΛΥΜΑΙΝΕΤΑΙ
ΤΑΣ ΑΚΟΑΣ . ΤΩΝ . ΝΕΩΝ . ΔΙΑ ΤΕ ΤΑΣ ΠΟΛΥΧΟΡΔΙΑΣ . ΚΑΙ ΤΑΣ . ΚΕΝΟΤΑ
ΤΟΣ . ΤΟ ΜΕΛ . ΕΟΣ . ΑΓΕΝΝΕ . ΚΑΙ ΠΟΙΚ . ΙΛΑΝ . ΑΝΤΙ ΑΠΛΟΑΣ . ΚΑΙ ΤΕΤΑΓ

Dicit diuidi uir q' in unoquoq; homine . Per ruptum ad diuidua id ad gentem . Nam
pollua primi loco non relatum ad praecedentia iuxta similitudinem . si philosophico more ad subsequentia ita . genere humano q' est molle ac lasciuum . musica in turpitudine prolapsa non inquantum ad rem . sed per dicta turpes componit mores

tarentinus